



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

plici præscriptimus, id etiam eiusmodi sit, vt ne ab extrema quidem anteriori parte quasi rostratum promineat.

Neque cingula serico retisve instar contexta, aut è corio confecta adhibeant: neque cingulis sudariola accingant, aut appendant.

A caligarum vsu abstineant, quæ nau-
ticarum speciem præferant.

Vestes quas domi priuatim induent, eiusmodi sint, quæ non colore, non vlla habitus specie à clericali modestia distrepent.

Cùm in Ecclesia versantur, quo tempore superpellicem inducere non debent, ne sint sine toga exteriori: nec verò absq; ea etiã in diocesanis locis prodeant, nisi cùm eos pedibus iter faciētes viæ difficultas & longitudo aliter cogit.

Si quò iter equo faciunt; ne absque viatoria veste exteriori equeant, succincta interiori tunica, aut alia contractiori decenter adhibita, ad diocesanæ primæ nostræ Synodi præscriptum.

Dioc. 2. dec.
29. pag. 341.

Præpositi, & vrbani, quibus certum aliud indumenti genus à Sede Apostolica concessum non est, & ij diocesanæ, quorum præposituræ capita plebis sunt, tum in Ecclesia diuinis officijs, tum foris processionibus agendis, & in alijs publicis Ecclesiasticis eiusmodi actionibus (nisi cùm pro solennitatum ratione sacra alia indumenta adhibenda sunt) cappa semper, quod vetus eorū insigne esse compertum est, eiusmodi vtantur: quæ nigro colore sit tenui eo panno confecta, quem sartzam, aut sariam vulgò vocant, à posteriori parte in longitudinem ducta: quæ decenter inuoluta, & infra sinistrum brachium demissa teneatur.

Circumamicta autem à pectore illa per hyemem sit pelle sciuria, quam dossiam, alioant; per æstatem serico violacei coloris.

Cùm autem illam induunt, superpelliceo eiusmodi, quod angustis manicis sit, subtus costunc vti non vetamus: alio præterea tempore nunquam vtantur.

1650b. 11.
161. 2. pag.
21. pag. 311.

Quam cappam Præpositi vrbani non in alienis Ecclesijs, sed in suis solum, ac præterea foris, cum aliquod Ecclesiasticæ functionis munus collegiatim cum

suo clero obeunt, adhibeant; diocesanæ in suis item, non in alienis plebibus.

Superpellicis cùm ministerij vsus postulat, omnes vtantur; quæ non lacera sint, non sordida, non elaborata nimis, ita vt artificij ornatus in humeris speciosus appareat.

Quibus autè rochetto vti licet, id eiusmodi sit, in quo non vlla artificiosi operis species, neq; affectata elegantia ostentetur.

Modestiam verò omnes cùm in omni habitu, actioneq; præferant; tum in eo etiam, vt ne certo eò nomine, quod propriè Ecclesiarū Præsibus, Ecclesiasticisq; dignitate præditis conuenit, se mutuo qui non debent, ambitiosè appellēt.

Decretum . XX.

SACERDOS, Clericusve sacris initiatus, aut ecclesiasticum beneficium obtinens, ne morbi quidem causâ quo laborat, Canonicarum horarum officium omittat; nisi de consilio confessorij Sacerdotis, & vbi adhiberi potest, medici item: nisi is ita grauitè morbo laborat, vt planè sentiat se illius grauitate impediri, quò minus stacas preces horarias recitare possit.

Horæ canonicæ quò in infirmitate omittendæ.

Decretum . XXI.

QUAM supplicè mente, intimaque animi pietate, Ecclesiastici ordinis homines horarias diuini officij preces dicere debeant; id & antiquis Patrum institutis cautum est, & Lateranensi Concilio Innocentius Tertius Põtifex monuit. Cùm enim [non tantum pro populo, vt inquit Apostolus, verum etiam pro se ipsis, qui circumdati sunt infirmitate, orandum eis sit;] id non modò sine intermissione, sed etiam studiosè ac deuotè agere debent.

Horæ canonicæ qua pietate recitandæ.

Quare admonemus omnes & singulos nostræ diocesis & vrbis Mediolanensis ecclesiasticos homines, vt cùm eiusmodi precum Canonicarum officium priuatim præstant, ne deambulando, aliudve agendo id muneris expleant: in Ecclesiam, si ei domus sit coniuncta, aut saltem domi in locum quoad fieri potest precationi aptiorem se recipiant; vt animo, qui deambulationibus, & aliarum rerum actio-

Ad Hebr. 5.